

Bibliothèque numérique

medic@

**Souque, Jean-Bertrand - candidat /
Disdier, François-Michel - président. -
[De femoris cum tibiâ ancylosi]**

1753.


***Paris : Typis Delaguetta Regii
Chirurgorum Collegii
Typographi.***


Cote : ms 2342, n°25



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0025







D. O. M.
POSITIONES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.

I.

QUANTAM omnibus, ob structuræ elegantiam, admirationem movere debeat Sceleti spectaculum, cuivis attendenti facile obvium est. Ossa, partem sanè haud spernendam, Corporis ædificio fulcimenti ergo indita duplici inter sese modo, cum motû nimirum & sine motû adunari probè observârunt Anatomix Antistites. Ne autem ex duplici illâ adunatione prolixi nonnihil enascereetur; suam utraque sortita est denominationem: prior nempe Arthron, posterior verò Symphyseos nomine insignitur.

I I.

Ex Ossibus porro motû gaudentibus, évidenter alia, alia obscurè moventur: hincque bina effluxit Articulationis species, Diarthrosis videlicet & Synarthrosis; quæ quidem ut iterum in Enarthrosim, Arthrodiam & Ginglymum dividerentur, usus invaluit; eo tamen inter ipsas notato discrimine, quòd in hac vix appareant motus in illâ maximè conspicui.

I I I.

SYMPHYSIS, altera junctionis Ossium species, cum medio & sine medio considerata occurrit; ac utroque sub respectû multiplices veluti in ramos distinguitur: alia quippè suturam, Harmoniam, & Gomphosim; alia verò Synevrosim, Synchondrosim, & Syssarcosim complectitur.

I V.

NULLUS sanè foret proponendi exitus, nulla circumscriptio, si quotquot recensentur Articulationum propagines, omnes & singulas ad amussim evolvendas susciperemus. Quapropter brevitati consulentes, sermonem aliò conferre juvat. De Femoris cum Tibiâ junctione, quantum ad hujus-ce partis Ankylosim spectat, eo loci sumus duntaxat disputaturi.

V.

PLURIMIS ergò constare partibus cartilagineis, ligamentosis, aponevroticis &c. Rotulæ, nec non Femoris cum Tibiâ Articulationem nostris fusiùs patebit responsis.

E X C H I R U R G I A.

I.

AFFECTUM amisso vel debilitato Articulationis cujuscumque motû oriundum, Ankylosim vocant: exindè que manat duplex Ankylosis distinguenda; aliam dixere perfectam, seu completam; aliam autem imperfectam, seu incompletam nuncuparunt. His planè vocibus allonant vera & falsa.

I I.

INTERNAS esse & externas Ankylosis causas nemo Artis peritus diffidet. Priores ex vitio, quâlibet de causâ, Humore.

3

sinoviali, tumefactis tùm Cartilaginibus, tùm junctis simul Ossium extremitatibus, Phlegmone, Abscessû, Carie, Arthritide, &c. Posteriores ab ictû, lapsû, Ligaturâ, Compressione, Fracturâ, luxatione, &c. sunt repetendæ.

I I I.

Ex movendæ Articulationis seu difficultate, seu impossibilitate hujus vel illius Ankylosis facili prorsûs negotio elucescet Diagnostis.

I V.

LONGE verò plurima diversam ejusdem affectûs Prognosim constituunt, essentia scilicet, Articulationis species, ætas, causa, Ægri habitudo, accidentia, &c.

I V.

ANKYLOSIS perfectæ curatio nec speranda, imò nec tentanda, nisi amputationis auxilio; quod quidem medium, ni gravissima sæviant accidentia, improbandum censemus.

V I.

ORTAM ex inversis Cartilaginibus, strangulatis-ve ex parte Ossium ligamentis, reductâ jam dudum luxatione, Ankylosim insanabilem judicamus.

V I I.

AT non item de symptomatibus Ankylosim perfectam comitantibus: illa enim, faventibus remediis tùm generalibus, tùm peculiaribus, prout casus tulerit, Chirurgi extirpabit sagacitas.

V I I I.

HAUD unus est Ankylosis imperfectæ curationis scopus: spissato quippè ultra modum Humore sinoviali, deficiente eodem, aut copiosius in Articulum affluente, immutato-ve propter peculiaria vitia naturali statû, varia pro vario casû vel interna, vel externa admovebuntur medicamenta.

I X.

UBI nimia adest humoris sinovialis spissitudo frictions calefactis cum linteis, aquarum ex alto asperisiones, Baredginæ, Borboniæ, Græcoesæ, diluentia, emolientia cataplasmata, quodque non levis est momenti, plus minùs-ve repetiti Articulationis motus felici ut plurimum successû adhibentur. Cum autem ex

4
ipsius - met Sinoviæ defectû aut penuriâ procreatur Ankilosis ;
potus diluentes , & amaros , sanguinis miliones , balnea , mino-
rativa , frictiones suprà laudatas , & repetitas aquarum ex edito
Asperisiones in usum vocari expedit. Affluente demùm majori
Sinoviæ copiâ , ad resolventia , prædictos partis motus , purgantia ,
venarum sectiones sæpè sæpiùs iteratas & imprimis tenuem victûs
rationem confugiendum.

X

Si fortè diffuso per Articulationem , ob fracturam , succo Ossis
nutricio , immineat Ankilosis , huic , apparatus congruo , motibus-
que interdùm adhibitis occurrere pronum est : quæ tamen media si
prosperè minùs cesserint , iisdem certè incoepta debellabitur.

X I.

SUPERVENIENTE Abscessû , Punctiones in partibus Arti-
culi lateralibus , aut potiùs Incisiones instituendæ sunt , apparatus-
que , pro re natâ , idoneus apponendus.

De Comingian
Has positiones , DEO JUVANTE & Præsede M. FRAN-
CISCO-MICHAELE DISDIER , Artium Liberalium
& Chirurgiæ Magistro , tueri conabitur JOANNES-BERTRAN-
DUS SOUQUE , Convenensis , Artium Liberalium Magister ,

P A R I S I I S ,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Sabbati 17^a Februarii , à sesqui-secundâ post meridiem
ad Septimam. Anno Domini 1753.

P R O A C T U P U B L I C O ,

E T

MAGISTERII LAUREA:

Typis DELAGUETTE Regii Chirurg. Collegii
Typographi. 1753.